



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.31. Martyres in Oriente.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul VIII. Athanasio Patriarcha Jacobita defuncto,  
 A C. 741. Joannes anno Ichami primo successit.  
 Et quamvis ipsius Episcopi primum subesse detrectarent, postea tamen reconciliatis in illa Sede præfuit usque ad Regnum Abdallæ *Saffab*, qui anno septingentesimo quadragesimo nono imperare cœpit. Jerosolymæ postquam Theodorus Patriarcha Melchita Sedem tenuisset annis triginta quinque, successit ei Elias anno Ichami decimo septimo, Jesu Christi septingentesimo quadragesimo quarto, & annis triginta quinque sedit.

## §. XXXI.

*Martyres in Oriente.*

*Elmach. c. 7. p. 81.* Califa Icham e vita migravit anno Hegiræ centesimo vigesimo quinto, Jesu Christi 743. postquam ultra annos novemdecim regnasset, quo defuncto Familia *Ommia* brevi temporis spatio extincta est, septem enim non plus annis superstes fuit, atque intra pauculos hos annos Califæ quatuor numerantur. Primus eorum Owalidus II. Filius Yezidi II. Ichami nepos cum quindecim mensibus imperasset, ob ingluviem & animum in Mahometem impium fasces ponere jussus est. Nihilominus etiam brevi hoc tempore Christianos persequi vacavit, quippe Petrum Metropolitanam Damasci, ubi etiam residebat, quod aper-  
 re

*c. 8.*  
*Theoph. an. 2. p. 349.*

te impietatem Arabum & Manichæorum Sæcul. VIII.  
argueret, abscissa lingua proscriptis in A. C. 741.  
Arabiam felicem, ubi vir Sanctus occu-  
buit.

Petrus quoque Majumensis eodem tempore gloriosi Martyrii occasionem quæsiuit. Cum morbo decumberet, vocatis ad se Arabum Magistratibus amicis suis, quippe ipse tributa publica redimebat, dixit: *Deum precor, ut vestram humanitatem, qua me ægrotantem invisitis, remuneretur. Sed volo, vos testes esse mei testamenti, quod hujus est argumenti: quicumque non credit in Patrem, in Filium, & in Spiritum Sanctum, Trinitatem consubstantialem, is cæcus est secundum animam, & supplicio æterno dignus, sicut Mahomet pseudopropheta vester & Antichristi præcursor. Ergo ipsius fabulas rejicite! obtestor vos in hac hora, atque Cælum & terram in testem invoco. Plura hujus modi ingerentem, quamvis offenderentur his sermonibus, patienter ferre statuerunt, ea ratione, qua vi morbi delirantes toleramus. Ille vero postquam ex morbo convaluit, cœpit acerbius Mahometi, libro ejus fabulis referro, & omnibus ei fidem habentibus anathema dicere. Itaque capite plexus est. Scripsit Elogium Martyris S. Joannes Damascenus, cumque Ecclesia vigesimo primo Februarii inter Martyres honorat;* Martyr. R. 21. Febr. 4. Octobr.

Sæcul. VIII. Petrum vero Damascenum quarto Octo-  
 A C. 741. bris.

## §. XXXII.

*Alphonfus Catholicus.*

*Sebast. Sal-*  
*mant. p. 47.*

In Hispania Christiani vires sensim reci-  
 piebant. Pelagio Rege æra 775. nem-  
 pe anno septingentesimo trigesimo septi-  
 mo fati functo, qui non plus duobus an-  
 nis regnavit, & Successorem habuit Al-  
 phonsum Ermesindæ Sororis suæ virum  
 Petri Ducis Cantabrorum filium, genus  
 a Rege Reccaredo ducentem, Rex Al-  
 phonfus cognomento Catholicus Arabes  
 quorum accisæ vires erant, cladibus in  
 Francia acceptis, aliquoties prælio vi-  
 ctos multis urbibus exiit. Has nume-  
 ro triginta & unam fuisse referunt, qua-  
 rum præcipuæ erant Lucus Augusti, Tu-  
 de, Portugallia, Bracara Lusitaniæ Me-  
 tropolis, Salamanca, Sertina, Abula, Se-  
 gobia, Asturiga, Legio. Arabes istarum  
 urbium incolas internecone delevit, &  
 Christianis in Asturiam secum abductis,  
 eas desertas reliquit. In quasdam vero  
 alias novos incolas induxit, quarum ex  
 numero fuere Burgi. Lucum quoque in  
 Gallæcia ad Minium annum civibus re-  
 plevit, deditque Episcopum nomine Odo-  
 arium, qui postquam Ecclesiam & urbem  
 restauravit, in adjacentes etiam agros  
 cultores immisit. Rex Alphonfus mul-  
 tas

*Diplom. an.*  
*744. ep. mo-*  
*ral. l. c.*